

B. A.
295.

Xe. 352.

2.

FVNDAMENTA
THERAPIAE
CATHOLICAE.

S V B J V N G I T V R
CATALOGVS CORPORVM
MEDICAMENTOSORVM USITATIORVM.

EDIDIT

GODOFREDVS GVILIELMVS
PLOVCQVET,
PROFESSOR TVBINGENSIS.



TVBINGÆ,
apud JAC. FRID. HEERBRAND.

1785.

LUNDENSIS
HERALDICA
CATOLOGAE

SATANICUS

CATALOGUS CORJORUM

MEDICALMENTOSARVM SISTIMATIVVM



EDOHR
PROLICET
EWAZ

PROFESSOR TABINGEBER



LIBRARY
HAGENBERG



CONSPECVT.

Ratio scripti.

SECT. I. De therapiæ catholicæ
notione, requisitis & terminis.

SECT. II. Regulæ therapeuticae
generalissimæ.

SECT. III. Methodi therapeuticae
generales.

CAP. I. Roboratio, Refectio, Excita-
tio.

— II. Relaxatio solidorum.

— III. Placatio motuum.

— IV. Reunio unitatis solutæ.

— V. Imminutio massæ humorum.

— VI. Augmentum humorum.

— VII. Correctio cacochymiaæ in
genere.

— VIII. Attenuatio humorum.

CAP.

A 2

CAP.

CAP. IX. Densatio humorum.

- X. Debellatio materiarum morbosarum, præcipue acrionis.
- XI. Remotio acrimonie acidæ.
- XII. Destructio alcalini.
- XIII. Methodus antiseptica.
- XIV. Coercitio rancidi.
- XV. Acrimonie falsæ debellatio.
- XVI. Antidota venenorum.
- XVII. Methodus contra infesta viventia in corpore humano.
- XVIII. Bilis degeneratæ impugnatio.
- XIX. Methodus antipituitosa.
- XX. Reseratio vasorum obstrutorum.
- XXI. Methodus temperans.
- XXII. Methodus antiphlogistica.
- XXIII. De doloribus & spasmis tollendis.

CAP.

CAP. XXIV. De avertendis & revo-
candis congestionibus.

- XXV. Motuum nimis lensorum medela.
- XXVI. Promotio coctionis.
- XXVII. Methodus antifebrilis.
- XXVIII. Promotio se- & excre-
tionum in genere.
- XXIX. Promotio contentorum in
ventriculo & intestinis.
- XXX. Sollicitatio urinæ.
- XXXI. Sudoris Excitatio.
- XXXII. Promotio salivæ.
- XXXIII. Moderamen excretionum.
- XXXIV. Remedia adversus hæ-
morrhagias.
- XXXV. De restituendis morbis.
- XXXVI. Quomodo morbis com-
plicatis occurrentum sit.

CAP. XXXVII. Methodi generales
chirurgicæ.

— **XXXVIII.** Methodi prophylacticæ.

**CATALOGVS CORPORVM ME-
DICAMENTOSORVM.**

- I. Sales.
- II. Sapones.
- III. Dulcia & acido-dulcia.
- IV. Antacida.
- V. Acria.
- VI. Amara.
- VII. Aromaticæ & fragrantia.
- VIII. Balsama, Balsamica, Resinæ, Re-
sinosa, Gummi - resinæ.
- IX. Austera, Adstringentia, Roborantia.
- X. Mucilaginosa.
- XI. Pinguia, oleosa.
- XII. Glutinosa, viscosa.
- XIII. Narcotica & sedantia.

RA-



RATIO SCRIPTI.

Multum omnino interest docentium, & que ac discentium, ut suos quævis disciplina circumscriptos habeat limites, ne vel curta nimis & imperfecta sit, nec é contrario extra oleas evagetur, ab aliisque vicinis & cognatis decerpatur, quæ his potius linquenda fuissent: Regulas hasce abs Scriptoribus Therapiæ Generalis vix ac ne vix quidem observatas

A 4 fuisse,

fuisse, invenimus, cum hic plura omis-
erit, quæ tamen tractanda fuissent, &
quæ nostra ætate, inventis medicis di-
tiore, tractari possunt & debent, ille vel
specialium morborum læsionumque cu-
ram intermischuerit, vel, quod maxime
fieri solet, in materiæ medicæ ditionem
nimis excurrerit. Hanc, scilicet materiam
medicam, siccо pede præterire, primum
animus erat, sensi vero, hoc apte fieri
non posse, cum faltem ad classes medi-
camentorum provocandum esset. Hinc
indicem seu syllabum modo corporum
medicamentorum subjunxi, eaque in
classes quasdam coëgi, quarum ratio
ibi indicabitur. Ne autem interpolatio
molesta fieret, & ut repetitiones evita-
rentur, in textu therapiæ ipsius istas tan-
tum classes indicavi, nisi quidem specia-
lissimum quoddam, vel energia maxime
eminens medicamentum indicationi re-
sponderit.

Ve-

Vela itaque jam expandenda, jam
contrahenda erunt, prout res ipsa sua-
debit, novamque sic viam inire animus
est, eum maxime in finem, ut auditores
filum habeant, ad quod hæc valde mo-
mentosa disciplinarum medicarum pars,
rectius forte proponi, ipsisque ita incul-
cari possit, ut methodis generalioribus
instructi, cum aliquando ad specialium
morborum curam & therapiam ven-
tum fuerit, brevius expediti queant, ut
sibinde non nisi ad istas, utpote jam pro-
positas, vel tribus verbis provocare ne-
cessit: Quod ut eo facilius perfici pos-
sit, Therapiam Generalem ad Patholo-
giam Generalem omnino accommodare,
summosque titulos ex hac depromere
debemus, etenim is, qui summa capita
statuum præternaturalium tollere novit,
morbos tum inchoantes, quam plenarie
formatos, regulares æque ac irregulares,

& corruptos, simplices & complicatos fa-
ciliori saltem opera auferre poterit. Si-
gna singularum aberrationum à statu
naturali addere, hujus non erat loci,
utpote quod magis ad Semioticam gene-
ralem pertinet. Utile omnino opus fore arbi-
tratum, si quis Pathologiæ generali Semio-
ticam subjunxerit, & cum Therapia Ca-
tholica ita combinaverit, ut una idea-
rum fœse mutuo excipientium serie sin-
gulari capita plene absolverentur, quale
quidem jam meditatus sum, & aliquan-
do forte suscipiam.

SECT.



SECT. I.

DE THERAPIÆ CATHOLICÆ NO. TIONE, REQUISITIS, ET TERMINIS.

§ 1.

Præter Hygieinen ultimus Medicinæ finis est morbos tollere; seu ægros curare, &, quantum in Medico est, restituere.

§ 2.

Doctrina, quæ præsidia adversæ valitudinis, modumque, istis recte utendi *) docet, audit Therapeutica, uti exercitium ipsius artis edocet Therapiam efficit.

§ 3.

*) Gaub. Path. § 16.

§ 3.

Quivis morbus occurrentis suam singularem poscit medelam, uti individualis ægri constitutio singulares requirit considerationes, adeoque proprie, & strictiori sensu non datur methodus vel therapia generalis.

§ 4.

Docuit tamen observatio, & collatio singularium istarum methodorum therapepticarum, aliquas earum inter se convenire, quin uniformes esse, unaque siedilia plures subinde dealbari posse parietes.

§ 5.

Quemadmodum ergo Pathologia generalis a speciali abstracta fuit, ita therapia generalis sive catholica non nisi ex multis, ad speciales, plerumque cognatos morbos applicitis, & inter se convenientibus methodis medendi enata est, propriamque nunc & singularem Doctrinæ Medicæ partem constituit.

§ 6.

§ 6.

Docet methodos therapevticas generales, sive eas, quæ integris morborum generibus, vel saltem pluribus morbis opponi possunt, vel quæ status præternaturales, plurium morborum feraces tollerent.

§ 7.

Qui eas omnes rite didicit, ei non facile occurret morbus, ad quem remedium non possit invenire, nisi quidem is novus plane ac inauditus fuerit, & à genio omnium cognitorum plenarie aberraverit.

§ 8.

Quatenus ergo universa morborum caterva generalibus his armis debellari potest, & speciales methodi omnes suo modo Therapia generali comprehenduntur, hæc jure suo dici potest *Catholica*.

§ 9.

In curando morbo quovis tam ad agenda, quam ad omitienda respiciendum est.

§ 10.

§ 10.

Hæc versantur circa auxilia, & reme-
dia, tam externe, quam interne applican-
da, nec non circa regimen & diætam.

§ 11.

Medici vel & Chirurgi itaque non so-
lius res est, sed & ægri ipsius & adstan-
tium: Concurrunt quoque ambientia, quæ
non semper in potestate istorum sunt. *)

§ 12.

Ita tres dantur fontes Therapiæ :
Pharmaceuticus, Chirurgicus, & Diæ-
ticus.

§ 13.

Si morbus una cum causis tollitur, ut
æger tam quoad functiones, quam respe-
ctu qualitatum sensibilium in integrum
resti-

hi*) Πτπ. βαφ. I. 1. δεις δε εἰς μονον ἐμποτον
(sc: integrum) παρέχειν τα δεουτα ποιευντα,
ἄλλα και του νασεοντα, και της παρεον-
τας, και τα ἐξωθεν.

—

§

restitutus fuerit, *) sanatio dicitur radicalis, perfecta.

§ 14.

Imperfecta restitutio est, quæ ex morbo ipso, ejusve caussis vel effectibus aliquid in homine reliquit, quo vel præsens ejus sanitas adhuc turbatur, vel quod ut formes futuro sive recidivo, sive secundario morbo producendo aptum est.

§ 15.

Ubi æger tantummodo à molestis symptomatibus liberatur, superstite morbo, ejusque caussis, cura audit palliativa.

§ 16.

Si morbus imminens avertitur, cura erat præservatoria.

§ 17.

Therapia supponit ergo notitiam haud superficialem œconomiæ animalis, & naturæ humanæ, in functionibus suis tam im-

*) Heurnius Instit. Md. L. XII. cap. 7: finis
Medici est ægrorum redintegratio.

6

imperturbatæ, quam turbatæ: Præcipue
scientiam, saepe divinationem sedis mor-
bi, materiæque morbosæ, nec non mo-
di, quo hæc illam efficit: Deinde notitiam
variorum istorum modorum & viarum,
quibus vel natura ipsa, cum hoste luctans
a morbis & materiebus morbosis sese tue-
ri, liberare, suasque functiones in inte-
grum restituere consuevit, vel quibus ars,
naturæ ministra, eundem scopum assequi
solet & potest, adeoque scientiam relatio-
nis mutuæ corporis humani, singularum-
que ejus partium, tam inter se, quam ad
corpora ambientia, quæ sub forma aëris,
vaporum, cibi, potus, medicamenti, vel
aliter ingeri, applicari possunt: Requiri-
tur porro doctrina chirurgica omnis.

§ 18.

In Therapiæ objectum constituunt mor-
bus seu status præternaturalis præsens,
ejus caussæ, indoles & natura, ubi atten-
dendum ad ejus prodromos, principium,
anabasin, acmen, declinationem, compli-
cationem, symptomata, paucis, totum
ejus

ejus ambitum & conditiones individuales,
ad quæ omnia methodum suam accom-
modare debet.

§ 19.

Quoad caussas perscrutetur Medicus
maxime causam proximam, utpote ena-
tam ex antecedentibus, quæ licet non
semper conferant ad normam agendo-
rum, *) eas tamen nosse, haud parum re-
fert, **) maxime, cum adhuc in ægro præ-
seentes sunt, & agere pergunt.

§ 20.

Præterea spectanda individualis ægri
conditio, quoad sic dictas res naturales,
nempe ætatem, sexum, temperamentum,
corporis habitum, vitæ genus, consuetu-
dinem

*) GALENVS Θεραπευτικης μεθοδος Βιβλ. γ.
μηδεν των προναταρξαντων της διαθεσεως
ογτιων ενδεινεται την Θεραπειαν. & paulo
post: απ' εδενος των μηντι οντων ενδει-
ξιν τε συμφεροντος ενεσι λαβειν.

CELSVS de medicina L. I. Præf. p. m. 14.

B

dinem quoad varia, idiosyncrasiam, nec non quoad vires, constitutionem valentem vel debilem, hæreditatem.

§ 21.

Conferunt quoque huc anni tempus, in primis genius & constitutio epidemica, clima, populus, locus habitationis.

§ 22.

Ex his *omnibus* perspectis, pensatis, comparatis Medico enascitur votum, quid in ægro, in sede & materie morbi mutantum, actum velit, unde consilium capit, an & quid agendum, mutandum, tollendum, conservandum sit, quo ille restituatur. *)

§ 23.

His ergo via normaque agendorum & omittendorum monstratur, unde vocantur *indicantia*. **)

§ 24.

*) HEVRNIUS l. c. & SWALWE Disquisitio Therapeutica Generalis. p. 9.

**) Ipsum morbum vocat indicans BLASIVS Inst. Med. Comp. p. 92.

§ 24.

Argumenta, consilium captum ulte-
rius corroborantia, sunt *coindicantia* seu
consentientia, quorsum præcipue juvantia
pertinent.

§ 25.

Hoc ipsum consilium, propositum, scopus,
conclusio formata vocatur *Indicatio*. *)

§ 26.

Sæpe plures indicationes in uno mor-
bo concurrunt, quæ ita coordinandæ sunt,
ut ad scopum propositum, scilicet fugam
morbi quoad omnem ejus ambitum, seu
restitutionem ægri colliment, si quidem
ea possibilis est. **)

§ 27.

*) GALENV I. c. βιβλ. β. την γαρ οίον
ἐμφασιν της αἰκλαθείας ἐνδειξιν λεγομέν.

**) HIPPOCRATES περὶ τεχνῆς: ἵπτριη ἐστι
τὸ δὴ παρπατῶν ἀπαλλασσεῖν τῶν νοσεούτων
τες ιαματεῖς, καὶ τῶν νοσημάτων τὰς σφο-
δεροτητας ἀμβλυνεῖν. καὶ τὸ μη ἐγχειρεῖν
τοῖσι κεκρατημένοισιν ὑπὸ τε νοσημάτος,
εἰδοτας, ὅτι ταῦτα ἐδυναταὶ οὐ ἵπτριη.

§ 27.

Hæc omnia Medicus exsequitur aut per therapiam sic dictam methodicam, rectius mediatam vel indirectam, quæ naturæ ipsius vires, motus, vias, stadia morbi, diversaque illius in hisce agendi modum observans, istis se accommodat, *) ceterum autem materiem morbi viribus naturæ medicatricibus subigendam & expellendam committit, aut per therapiam sic dictam specificam, rectius immediatam vel directam, quæ ipsum morbum ejusque cauñas directe aggreditur.

§ 28.

Hic modus procedendi est Medici rationalis, non empirici crudi. **)

§ 29.

Empiricus crudus aut remedia quædam morbo cuidam, cuius nomen tantum,

*) GALENVS ad aphor. 21. Sect. I.

BOERHAAVE Instit. Med. § 1153. ff.

**) GALENVS l. c. Βιβλ. β. ὅσον ἀποκεχειρησε της ἐμπειρίας, ἐνδειξις ὀνομάζεται συμπαν.

non naturam, nec caussas, nec differentias, sive specificas, sive individuales, nec stadia intuetur, applicat, vel & cuivis symptomati speciatim aliquid opponit. *)

§ 30.

Morbus tamen, cūjus caussa non evidens est, ad sanam empiriam tractandus erit. **)

§ 31.

Opus ergo est ratione & experientia, & Medicus debet esse empiricus rationalis. ***)

§ 32.

Ea, quibus indicationi satis fieri potest, ex quo vis fonte Therapiæ deponuntur, sunt *indicata*, in quorum administratione

DUNZER Arat. I. 369.

**) CULLEN. in medic. Comment. von Edinburg B. V. 4.

***) ZIMMERMANN von der Erfahrung in der Arzneykunst.

modus, ordo, tempus, quantitas, qualitas observanda. *)

§ 33.

Ita remedia inveniuntur. **)

§ 34.

Impedimenta, quæ remedium indicationi alicui quidem respondens, applicari tamen vetant, dicuntur *contraindicantia*, repugnantia, prohibentia.

§ 35.

Sic una indicatio alteri, unum indicans alteri contrarium esse potest;

Ejusmodi sunt:

Conditiones individuales ægri.

Complicatio plurium statuum morbosorum.

Genius epidemicus.

Remedii indicati qualitates ex parte tantum utiles, ex parte vero noci-

væ

*) HEVRNIUS Inst. L. XII, c. 7.

**) FERNELIUS Meth. Med. L. I. cap. 2.
Sanctorii de Remediorum Inventione Liber.

væ, sive ipsi remedio ut qualitas secundaria inhærent, sive per se alii indicationi contrariæ sint.

Si remedium electum in ipsa applicazione ut *lædens* deprehenditur, quod autem nonnunquam priores conditiones tantum detegit.

§ 36.

Periculum vitæ proprius, & molestiores ægri sensationes, sunt indicantia urgenteria.

§ 37.

Consilium, quo imminens vitæ periculum arcetur, dicitur indicatio vitalis.

§ 38.

Hæc versatur circa promptam sublationem eorum, quæ mortem minantur, sive simul ipse morbus tollatur, sive non: Ita hæmorrhagiis, suffocationi, exhaustioni virium quantocius obviam eundum est.

§ 39.

Molestiores ægri sensationes pariter aut ita tolluntur, ut morbus simul cedat, aut

B 4

ad

ad has tantum, ut symptomata respicitur,
nulla interim ratione habita morbi principis:
Priores indicationes sunt curatoriae,
& cauſſales, posteriores symptomaticae.

§ 40.

Consilia ulteriora, post morbum superatum eo fine adhibita, ne convalescens vel eundem morbum recidivum, vel alium, ex ante perpetuis ſequentem incurrat, conſtituant *Apothrapiam*.

§ 41.

Hæc versatur in delendis reliquiis materiae morboſae, ſive prius praefentis, ſive noviter genitæ, ubicunque hæreat, in reftauratione virium, maxime digestionis, ſæpe & in abolitione residuae nimiae ſenſilitatis & irritabilitatis, unde motus inordinati, diu nonnunquam perdurantes, pendent.

SECT.

SECT. II.

REGVLÆ THERAPEVTICÆ
GENERALISSIMÆ.

§ 42.

Præceptum therapevticum generalissimum est: Contraria opponere contrariis. *)

§ 43.

Ita laxa stringenda, stricta laxanda, crassa attenuanda, tenuia spissanda, superflua & noxia expellenda.

§ 44.

Calido frigida, frigido calida, humido sicca, hæc illis opponenda sunt. **)

§ 45.

) HIPPOCR. aph. II. 22. ἀπὸ πληγμονῆς
όνορα ἀν νοσημάτα γενητα, κενωσίς ἵτοι.
καὶ όνορα ἀπὸ κενωσεος, πληγμονη. καὶ
των αλλων ή ἐναντιωσις.

GALENVS Θεραπευτικης μεθοδε βιβλ.
θ.: εἰς μονος γενικοτατος ἔσαι σηπος των
ιαματων ή ἐναντιωσις.

**) HIPPOCR. Epid. VI. Sect. V. γ. Ιησις
B 5 αντι-

§ 45.

Tolle cauffas, & auferes morbum. *)

§ 46.

Nulla agendi occasio est prætermittenda.

§ 47.

Nonnunquam tamen præstat, parum vel nihil moliri, &, si non integrum negotium, tamen partem ejus viribus naturæ medicatricibus committere, **) multi enim morbi sola naturæ energia tolluntur. ***)

§ 48.

αὐτινοσ, μη σμονοσιν τῷ παθεῖ. το ψυχρον
καὶ ἐπικορεις καὶ ιτεινει, σκοται ἐν θερμη.

GALENVS l. c. Βιβλ. Θ. ζσων δε δη-
λονοτι πολλων των διαθεσεων, ιδιακαθ' επα-
γγης αυτων ή ἐνδειξις. ἀπο μεν της θερμης
ή τε ψυχρειν, ἀπο δε της ψυχρας ή τε
θερμαινειν. ειναισω δε των άλλων ή ὑπενα-
τικοσις.

*) CELSVS L. I.

**) HIPP. aph. 20. Sect. I.

***) HIPP. Epid. VI. Sect. V. I. Νεσων
φυσιεσ ιντζοι.

GALE-

§ 48.

Magni morbi curantur abstinentia & quiete.

§ 49.

Medicus rabidum canem quiescentem nullibi laceffat, sed otio suo frui sinat aut validis sufficienter debellet. *)

§ 50.

Ejusmodi indicationes vocari possunt exspectativæ.

§ 51.

Abstinendum quoque in casibus plane desperatis, saltem haud operose agendum,

GALENVS ad hunc locum: δυναμιν δε προσ-
ηκει την ἀκεψιν ἐκ της φυσεως ἐνοματος
ἐνοικεσσαν ἀυτοις τοις σωμασι τοις διοικη-
νοις ὑπ' ἀυτης. — πρωτη μεν (δυναμις
φυσεως) η των σίκειων ἐλιτικη, δευτερη
δε η τετων αυτων ἀλοιωτικη τε και πεπτι-
κη, και τριτη η ιαθετικη των σίκειων,
και τεταρτη των εν σίκειων ἀποκριτικη.
ταυτους εν τοις δυναμεσιν ε μονον υγιεινου
φυλαττει το ζωον, αλλα και νοσησαν υγιαζει.

*) SWALWE Disquisit. Therap. Gen. Sect I.
p. 6.

ne occidisse videamur, quem servare non potuimus.

§ 52.

In summis malis tamen summa tentanda remedia, nec diu cunctandum.

§ 53.

Cum prudentia tamen periclitandum.*)

§ 54.

Melius est, anceps tentare remedium, quam nullum.

§ 55.

Leniores methodi heroicis præferendæ, nisi quidem necessitas urget.

§ 56.

Prodromi leviores morborum sæpe gravissimorum non negligendi sunt, potius

Principiis obsta, sero Medicina paratur,
Quum mala per longas invaluere moras.

§ 57.

A lædentibus desistendum, quæ tamen nonnunquam ægro tantum, vel affstantibus talia videntur.

§ 58.

*^{κανθαρευε φρονιμως.} CLEOBULVS.

§ 58.

Sic e contrario juvantibus insistendum. *)

§ 59.

Panacea non datur, ob diversitatem naturae morborum **) & stadia diversa unius ejusdemque morbi, quibus diversa quoque opus est therapia.

§ 60.

Quae pro talibus venditata fuerunt, erant aut purgantia, ut pulvis Ailhaud, aut antimonialia, aut mercurialia, aut opiata, aut salina, aut absorbentia, quae omnia polychresta quidem, nequam vero panchresta sunt,

aut forte non - entia, ut magnetismus animalis, aliaque magis superstitionis, quae tamen hominis imaginationem ciendo & dirigendo nonnunquam quasi per miraculum agere posunt.

§ 61.

*) SYDENHAM. e. g. p. 321. ed. Lips.

**) BOERHAAVE Institut, § 1180.

§ 61.

Indicationibus ergo insistendum.

§ 62.

Ut vero morbus cito, tuto, & jucunde tollatur, *) indicationes ipsae accurate ordinari, & indicata ita in aciem colloca-ri debent, ut urgentioribus indicationibus præ minus urgentibus **) satisfiat, habita tamen semper ratione ad morbum ipsum ***) & ægri constitutionem indivi- dualem, nisi quidem uno ictu plures ho- stes vinci possunt, quod omnino præstat.

SEC.

*) CELSVS L. III. c. 4.

**) GALENVS l. c. βιβλ. β. δέσις ἀκριβως βελεται συνησαθαι την θεραπευτικην με-θοδον, ἀρξαθαι μεν ἀπο των πρω- των ἐνδειξεων χρη, μεταβηναι δε ἐντευδεν ἐπι τας ἐφεξης, ειτ' ἀυθις ἐπι τας ἐνε- νων ἔχομενας, καη τυτο ποιεντα, μηταυ- σαθαι, πριν ἐφιεσθαι τε τελες ἀυτων.

***) ib. βιβλ. l. μαχομενων δε των ἐνδειξεων, ἥτοι την ἀπο της δυναμεως, ή την ἀπο της αὔτιας, ή τε πυρετος προαιρεμενω, ή τω μεν ιχυροτερω μαλλον ἐπομενω, μη μεν τοι γ' ἀμελεγυτι μηδεν των ὑπολοιπων.

SECTIO III.

METHODI THERAPEVTICÆ GENERALES.

§ 63.

Methodi therapevticæ generales sunt, quæ ad plures status morbosos, etsi paulum inter se diversos applicari queunt.

§ 64.

Dividi alias solent in evacuantes & alterantes: Cum autem in plerisque methodis generalibus utrumque occurrat, nec omne punctum istis tollatur, nos huic divisioni non inhærebimus, sed potius ejusmodi trademus, quales § 6. innuimus.

CAP. I.

ROBORATIO, REFECTIO, EXCITATIO.

§ 65.

Cum ad exercendas functiones quasi-
bet viribus opus sit, his impeditis, inimi-
nutis, vel deficientibus itæ vel minus ri-
te, vel plane non perfici poterunt.

§ 66.

§ 66.

Ubi ergo vires ad functiones non sufficerent, bene perpendicularum, an istæ tantummodæ suspensæ & impeditæ, an vero reapse imminutæ sint? si prius, adest debilitas apparens seu spuria, si posterius, vera.

§ 67.

Vera debilitas poscit additionem virium positivam, quæ vel in nova fluidi nervi affusione, vel in emendatione & mutatione organorum, scilicet fibrarum laxarum, torpidarum constituitur.

§ 68.

Illam præstant nutrientia, bene præparata, exquisita, materiam morbi non augentia, ex farinosis, gelatinosis, subpinguis, dulcibus, unde laudabilis & copiosus chylus facile elaborari possit, in bonum sanguinem facile mutabilis, è quo dein vis nervea restaurari possit.

§ 69.

§ 69.

Vigente quidem morbo negotium nutritionis vix succedit, sed tenui potius diæta utendum. *)

§ 70.

Nutrientia etiam sub forma clysmatum & balneorum ingeri possunt.

§ 71.

Reficiunt, adeoque novam fluidi nervi affusionem præstare quoque videntur sic dicta analeptica, quæ volatili, penetrante, *nervis amico* principio gaudent, ut aromaticæ, fragrantia, sive ex materia medica, sive ex alimentaria desumta, balsama & balsamica, ut & quædam amara, nec non acida, volatilia alcalina, & lac ex uberibus fuctum.

§ 72.

Hæc omnia principio, fluido nerveo forte affini instructa, huic celeriter regenerantur.

*) HIPP. aph. 8. L. I. ὅποταν δε ἀμαζητον οὐσια, τότε λεπτοτάτη διαγή ἀναγκαῖον χρειῶθη.

C

nerando inservire, ideoque reficere, valde probabile est; Dein pleraque eorum etiam stimulant, viresque torpidas exergiscunt.

§ 73.

Interim labor, curæ, evacuantia vitanda. Aër salubris quærendus.

§ 74.

Fibras laxas mutant, corrigunt, strinquent tam externe, quam interne ea, quæ vel elementum terreum augent, vel principio acido, austero firmant, & propriores contactus efficiunt, ut austera & adstringentia, quæ subinde per merum consensum nervorum, vel excitando ~~το ἐνορμων~~ agunt, semperque caute applicari debent.

§ 75.

Alia phlogiston simul addendo idem efficiunt, ut ferrum.

§ 76.

Amara quodammodo idem præstant, magis tamen sollicitando agere videntur.

§ 77.

§ 77.

Involutio & fulcimenta externa corporis quoque huc faciunt.

§ 78.

Diæta sicca , aromatica , nec non frictiones & exercitium eo pariter collimant.

§ 79.

Eadem ergo agunt etiam in vasa dilatata.

§ 80.

Torpidæ vires excitantur per ea, quæ sive externe, sive interne applicita velocem irritationem, vel alterationem in fibras sensiles exserunt, nempe stimuli tam mechanici, ut frictiones, motus, urticationes, verbera, vulnerationes, quam chemici, quorsum acria, balsamica, fragrantia pertinent, ut & physici, inter quos ignis, electricitas, frigus actuale eminent. Huc quoque referas stimulus & irritations morales.

§ 81.

Ubi autem vires vel in universum, vel in parte aliqua revera quidem non deficiunt,

ficiunt, at propter impedimenta sese non exferunt, ablato horum impedimentorum roborabit: Ita suo loco antiphlogistica, & evacuantia variis generis optima sunt roborantia & analeptica.

C A P. II.

RELAXATIO SOLIDORVM.

§ 82.

Fibræ nimis strictæ relaxantur quasi mechanice per interpositionem pluris elementi aquæ & phlogisti: Hinc aqua, præsertim calida, vapores, mucilaginosa, pinguis & oleosa, & quodammodo dulcia & glutinosa emolliunt & relaxant, tam interne, quam externe applicata.

§ 83.

Sæpe quoque placatione motuum strigentium opus.

§ 84.

Stricturæ per adstringentia factæ difficulter solvuntur.

§ 85.

— — —

§ 85.

Etiā in ipsa relaxatiōne modus ser-vandus.

§ 86.

Quies & somnus relaxationem adju-vant.

CAP. III.

PLACATIO MOTVVM.

§ 87.

Partes solidæ vivæ, de reliquo bene constitutæ haud raro in motu ruunt inor-dinatos, œconomiamque animalem tam quoad sensum, quam motum varié tur-bant. Stimuli quicunque in partes singu-lares, in systema vasorum, nervorumve, & per hoc in fibras musculares agentes, illos causantur.

§ 88.

Hi ergo obtundendi, removendi sunt.

§ 89.

Quod si perfici satis, vel saltem sat-
cito nequit, sensus partium irritatarum
gradatim obtundendus est.

C 3

§ 90.

§ 90.

Hoc fit aut per singularia, in nervos agentia, sedativa, foetida; aut per stupefacentia, seu narcotica, quae vel topice applicita partes affectas sopiunt, vel interne exhibita vim suam in universum systema nervorum exserunt; aut denique per destructionem nervi nervorum vel immediate irritatorum, vel parti irritatae praepositorum, vel & per consensum in eam agentium.

§ 91.

Relaxatio, Cap. II. lenes frictiones, palpationes, ligaturae partium adfectuarum suum hic quandoque conferunt, nec minus quies animi & corporis.

§ 92.

Motus ejusmodi saepe recurrentes, cum aut sistema nervorum nimis sensile & irritabile, aut internam quandam affectionem chronicam, saepe stimulos istos iterantem, ut obstructionem viscerum &c. arguant, radicitus averti nequeunt, nisi tollendo perdurantes istas affectiones, vel nimi-

nimiam hancce sensilitatem, & irritabilitatem inde oriundam.

§ 93.

Cum hæc plerumque cum debilitate juncta sit, & forte ex hac oriatur, indicationi per diu continuata roborantia satisfiet.

CAP. IV.

REVNIO VNITATIS SOLVTÆ.

§ 94.

Exercitium functionum requirit porro partes & organa integra, continua, non destrœcta, hinc læsio vel solutio unitatis istud impedibit, & resarciri debet.

§ 95.

Unitatis solutæ reunio merum opus naturæ est, hinc Medicus non nisi impedimenta, isti se se opponentia removere potest.

§ 96.

Hæc sunt: Distantia partium avulsarum, quæ apparatu chirurgico approxi-

C 4

man-

mante & quiete eget: Præternaturalia & peregrina corpora marginibus interposita, quæ auferenda: Generatio impurorum humorum, impedienda, tam per universalem depurationem, unde dyscrasiae emendandæ, novusque affluxus impurorum ex systemate gastrico rescindendus est, quam per mundationem ulceris, dein auferendo ea, quæ vasorum elongationi, ac regenerationi cutis & cuticulæ se se opponunt.

CAP. V.

IMMINVTIO MASSÆ HVMORVM.

§ 97.

Humores in universum sanguine comprehenduntur.

§ 98.

Hujus abundantia nimia requirit imminutionem:

§ 99.

Sanguis minuitur aut evacuatione ipsius, vel aliorum humorum, aut impediendo überem affluxum novi sanguinis.

§ 100.

§ 100.

Sanguis evacuatur aut restituendo ,
augendo hæmorrhagias naturales , & con-
suetas , ut menstruum fluxum , hæmor-
rhoides , aut lædendo vasa sanguifera , per
vulnera , phlebotomiam , scarificationem ,
narium quaffationem , vulnerationem ,
applicationem hirudinum , (vampyrorum ,
pulicum .)

§ 101.

Aliorum quoque humorum evacuatio
senzim ipsam rubram sanguinis portionem
minuit , quod per motus resolutorios evenit .

§ 102.

Pertinent huc ulcera spontanea , &
artificialia , fonticuli , setacea , effluxus
per acria , cantharides , corticem Daphnes
thymelææ sollicitatus .

§ 103.

Nec non aucta excretio alvina , renum ,
excitatio sudorum , profusio salivæ , la-
ctis , semenis , muci , quæ eo ipso specia-
les humores quoque exhaustiunt .

C 5

§ 104.

§ 104.

Uberior novorum humorum affluxus impeditur, per subtractionem alimenti solidioris, exquisiti.

§ 105.

Idem præstant corruptio digestionis, agrypnia, labores animi & corporis, curæ, affectus vehementes, maxime ingrati.

C A P VI.

A V G M E N T U M H V M O R V M.

§ 106.

Penuria sanguinis & humorum in universum tollitur per ablationem imminuentium, (Cap. V.) & per suggestionem boni & uberioris alimenti.

§ 107.

Huc quoque faciunt adjumenta digestionis ac sanguificationis, quæ plerumque in roborantibus consistunt.

C A P.

CAP. VII.

CORRECTIO CACOCHYMIÆ IN GENERE.

§ 108.

Crasin vitiatam universæ massæ humorum generatim mutare, & in statum sanitati convenientem reducere, difficile semper opus est: Chirurgia infusoria male cedit; Lac, quo aliqui novum quasi sanguinem creare tentarunt, non semper convenit, & alia, dyscrasiam quamvis corrigentia, quasi panchresta non dantur.

§ 109.

Hinc nil supereft, nisi ut diversæ species cacochymiae explorentur, & diversa illis therapia opponatur.

§ 110.

Consistunt illæ in spissitudine, tenuitate, & variis acrimoniis, quarum præcipuas & evidentes, una cum methodo, eas debellante, indicabimus.

CAP.

C A P . V I I I .

ATTENVATIO HVMORVM.

§ III.

Humores quicunque, nimis cohærentes, adeoque spissi, tenaces, immeabiles, usui, quem præstare, motui, quem peragere debebant, non amplius apti sunt adeoque opus habent attenuatione, seu resolutione, qua meabiles & naturales reddantur.

§ 112.

Resolutio & attenuatio semper lente procedunt, nec nimis festinari debent, præsertim, ubi plethora simul urget.

§ 113.

Attenuatio perficitur minuendo nimiam istam cohærentiam, quæ obtinetur aut per interpositionem copiofioris elementi aquæ inter reliqua, aut per correctionem depravatæ mixtionis chemicæ.

§ 114.

Inter attenuantia itaque primo loco ponuntur diluentia, quorum princeps est aqua, maxime tepida.

§ 115.

§ 115.

Cum autem diluentia non semper in ipsos humores spissos penetrent, sed quasi præterlabantur, acuenda sunt aut principio solvente, quod penetret, aut adhæsivo, quod connubium faciat,

§ 116.

Solventem vim possident fales, sapones, & quæcunque ejusmodi continent.

§ 117.

Adhæsivam vim habent mucilaginosa, dulcia, & acido-dulcia, vitellus ovi.

§ 118.

Mediate in spissos humores operantur ea, quæ actionem vasorum continentium excitant, roborant, adjuvant, adeoque primo loco acria tantum non omnia, dein amara, aromaticæ & fragrantia, balsama & balsamica, quæ strictius loquendo resolvunt.

§ 119.

Multum quoque nititur actione & consensu nervorum in hoc negotio.

§ 120.

§ 120.

Cum autem stagnationes pertinaciores faciliorem liquidorum transmissionem non permittunt, stimuli isti, præsertim calidi, non sine periculo applicari possunt, cum validos sæpe motus, & inflammations excitent.

§ 121.

Eadem § 118. agunt quoque externe applicata, nec non in clysmatibus.

§ 122.

Actio horum medicamentorum adjuvatur per motum muscularum, frictiones, succussions tremulas, balnea calida, electricitatem, quæ sæpe sola resolvunt.

§ 123.

Nimia attenuatio tenuitatem morbosam, forte putridam inducit.

C A P. IX.
DENSATIO HVMORVM.

§ 124.

Humores nimis tenues peccant aut abundantia elementi aquei, aut non satis

com-

compacti sunt ob defectum vel torporem
vis vitalis , aut laborant tenuitate acri ,
& dissolutione.

§ 125.

Elementi aquei superabundantia exi-
git augmentum excretionum , quibus pars
ejus subtrahatur.

§ 126.

Vel sic dictam incrassationem , qua
plures particulæ terreæ & inflammabiles
in humores ingeruntur , quod fit per co-
piosiora & meliora alimenta , farinosa ,
gelatinosa , pinguia , dulcia & mucilagi-
nosa , cuius generis quoque medicamen-
ta esse debent.

§ 127.

Dyscrasia humorum male mixtorum ,
pituitosorum , per penuriam sanguinis ru-
bri ex vitio vis vitalis , vel aliunde inducta
emendatur per roborantia , præcipue fer-
rum , quibus simul debilis digestio corri-
gitur , & sanguis invigoratur.

§ 128.

§ 128.

Incrassationem adjuvant frigus, quies animi & corporis, somnus, & nonnunquam narcotica, quatenus motus resolutiores fistunt.

§ 129.

Acrimoniae attenuantes aliis modis tollendæ.

CAP. X.

**DEBELLATIO MATERIARVM MOR-
BOSARVM, PRÆCIPVE
ACRIVM.**

§ 130.

Materia morbosa in genere est omne id, quod in corpore alicubi hærens ægritudinem excitat, vel excitare valet: Laudabilibus ergo humoribus semper dissimilis est, & per vires naturæ tantisper assimilari nequit. Peccans ejusmodi materia aut noxio modo stimulat, gravat, impedit solidam, aut humores ulterius corruptit, tandemque dyscrasiam universalem inducit.

§ 131.

§ 131.

Damna ex illis oriunda, avertuntur & tolluntur, cum effectus earum in solida & fluida, quantum possibile, arcentur, temperantur.

§ 132.

Hæc fiunt, istas quantocius, (prævia tamen *subinde* præparatione & coctione *) removendo, evacuando, si quidem ita positæ sunt, ut per organa congrua **) evacuari possint, uti e. g. bilis per vomitum, mucus per sternutationem.

§ 133.

Alias earum ars chirurgica demit, ut pus, aquam, cruorem, quando peregrina sunt.

§ 134.

Nonnunquam topice deleri, vel una cum parte affecta destrui debent, ut venena

*) HIPP. aph. I. 22. πεπονα φαρμακευμηνοι κηρσειν, μη ωμα.

**) HIPP. aph. I. 21. αἱ δει ἀγειν, σίκα ἀν μαλισα βεπη, ταυτη ἀγειν δια των ξυμφεροτων χωριειν.

D

nena quædam per ignem, sphacelatæ par-
tes per eundem, vel vires mechanicas.

§ 135.

Sin autem simpliciter eliminari non pos-
sunt, quando solidis fluidisve intimius jam
permixtæ sunt, tum solida ab earum no-
xio influxu defendenda sunt, quantum
possibile est.

§ 136.

Hoc fit, cum in universum vis earum
innata infringitur, alteratur, deletur,
iisque alia in doles induitur, nec non,
cum solidorum motus nimius, seu reactio
nimia sopitur.

§ 137.

Vis morbosarum, acrum materierum
infringitur per dilutionem, ope aquæ, tam
frigidæ, quam calidæ.

§ 138.

Dein per involutionem, quæ fit per
mucilaginosa, dulcia, farinacea, glutino-
sa & pinguia.

§ 139.

§ 139.

Denique alteratur & deletur per correctionem vel immutationem chemicam, qua mixtio materiæ acris destruitur, adeoque specificam, singulis scilicet speciebus acrimoniarum accommodandam.

§ 140.

Sopitio motuum nimiorum, ex stimulo oriundorum, obtinetur methodo superius dicta. Cap. III.

§ 141.

Cum autem materies semel morboſa nunquam ita mutetur, ut in statum ſanum rediſſe dici queat, ea poſtmodum ſuccellive evacuanda eſt.

§ 142.

Hinc excretiones, præſertim criticæ poſt coctionem promovendæ ſunt.

§ 143.

Etiā antea, & in ipſo negotio dum correctionem fuſcipimus, evacuationibus interpolatis per organa excretoria congrua institutis cavendum, ne vel nova corru-

D 2 pto-

ptorum humorum copia increscat, vel ex systemate gastrico novæ acrimoniae affluant, vel & medicamenta ingesta per hujusmodi sordes enerventur, mutentur, absorbeantur.

§ 144.

Diæta quoque semper follicite ita instituenda est, ut acrimoniae debellandæ deroget, nec forte eam augeat.

CAP. XI.

REMOTIO ACRIMONIÆ ACIDÆ.

§ 145.

Acidum morbosum primario residet in ventriculo & intestinis, muco tenaci sœpius inviscatum.

§ 146.

Præter dilutionem opponuntur ei antacida, quibuscum in sal medium, sive verum sive terreum abit, sicque vim solventem & purgantem acquirit.

§ 147.

§ 147.

Ubi hæc sufficere non videntur, resolutentia, ut sales medii, & nonnulla ex clas-
se acrīum & aromaticorū addenda sunt.

§ 148.

Plerumque etiam evacuantibus, sur-
sum vel deorsum, opus est.

§ 149.

Ne autem acidum & mucus, ut sfo-
les depravatæ digestionis subinde recru-
descant, hæc roboranda erit ope vini ge-
nerosioris, amarorum, aromaticorum.

§ 150.

Viētu quoque magis animali utendum.

§ 151.

Est &, ubi acidum inexpugnabile ex
statu varicoso vasorum ventriculi aliisque
hujus vitiis organicis repullulare videtur,
ut comperimus fieri diu post arsenicum af-
sumtum, & in congestionibus sanguinis per-
tinacibus versus ventriculum aliis quibus-
cunque ex cauffis; Pituita copiosa ita sem-
per deposita acidum forte regenerat: Hic

D 3

anta-

antacida non sufficiunt, sed vasa dilatata potius robورanda sunt, vitium organicum, quantum possibile, corrigeendum, congestio avertenda est, quorsum frigidum actuale externe & interne applicitum facere videtur.

CAP. XII.

DESTRVCTIO ALCALINI.

§ 152.

Mera alcalina acrimonia in corpore humano non deprehenditur, nisi foris ingesta.

§ 153.

Quodsi autem adsit, vel humores in eam vergant, deletur acidis.

§ 154.

Reditum impediunt quies, frigus, diæta acida & aceſcens.

CAP. XIII.

METHODVS ANTISEPTICA.

§ 155.

Putredo variis ex cauſſis enasci, & humores occupare potest; Hinc diversis viis modisque averti debet, prout diversis ex fontibus promanat.

§ 156.

§ 156.

Jam præsens autem debellatur aut per ea, quæ materiem septicam auferunt, ut appropriata evanuantia, aut per ea, quæ vires vitae instaurant, roborant, & simul chemice dissolutioni elementorum obstant, qualia sunt: Sales acidi, sal ammoniacum, saccharum, aër fixus, & quæ eo imbuta sunt, amara, ex hisque præcipue cinchona officinalis, aromatica & fragrantia, balsama, resinæ, maxime camphora, multaque austeriorum & adstringentium.

§ 157.

Aëris puritati simul operose studendum, tum removendo inquinamenta, quam renovando aërem, eumque immutando vaporibus acidis, dephlogisticatione: Sic & aër frigidus præferendus.

§ 158.

Topicæ putredici, quæ pariter diversimode oriri potest, diversa quoque remedia opponenda sunt: Præter usum internum antisepticorum studendum, ut circulus impeditus restituatur, actu putrida re-

D 4

fcin-

scindantur, confinia muniantur, & ad laudabilem suppurationem perducantur.

CAP. XIV.

COERCITIO RANCIDI.

§ 159.

Rancedo in primis vili hærens præter involventia vera corrigentia vix admittit, attamen acida illi opponi solent.

§ 160.

Præstat ergo evacuantibus uti, sive emeticis, sive laxantibus, pro re nata.

§ 161.

Rancedo, quæ in ipsam forte ossium medullam penetravit, ægerrime extergitur: Tentanda tamen contra eam afa fœtida, acidum salis, amara & roborantia.

§ 162.

Datur & topica ejusmodi depravatio, balsamis forte corrigenda, potius autem igne & ferramentis auferenda, non negletis interea remediis internis.

CAP,

C A P . X V .

ACRIMONIÆ SALSÆ DEBELLATIO.

§ 163.

Salsa acrimonia præter dilutionem, & blanditiem humoribus conciliandam per mucilaginosa, farinosa, fugam salis, ejusmodi requirit medicamenta, quæ ob acrimoniam suam innatam renes stimulant, vel alio modo diuresin promovent, vel quæ transpirationem augent: Inter hæc eminent sulphur, antimonium, mercurius & solanum dulcamara, quæ specifice hic agere videntur.

§ 164.

Hæ & aliæ acrimoniæ sanguini permistæ quoque ad superficiem corporis duci possunt per irritantia topica, ut: excitationem scabiei, rubefacientia, exulterantia, quorsum pertinent: cantharides, ranunculus, daphne thymelæa, lapis infernalis, & quævis acria, ut & oleum laurinum, præmissa forti frictione inunctum, tandem fonticuli.

D 5

§ 165.

§ 165.

Topicæ acrimoniae falsæ resistunt canthrides, sulphur, mercurius, acria, & alia jam indicata.

C A P . XVI.

ANTIDOTA VENENORVM.

§ 166.

Acrimoniae venenatæ diversissimæ sunt naturæ, hinc singulæ singulare exposcunt antidotum, præter generalia, quæ materialiis morbosis opponi debent.

§ 167.

Antidota iis partibus & locis potissimum applicanda sunt, quæ venenum suscepérunt, vel potius, in quibus id adhuc latere, intelligitur, adeoque diversi erunt modi applicandi.

§ 168.

Toxicorum drasticotaton est arsenicum, & quicquid hocce fœtum est: Chemice in hoc agunt, ejusque vim deleteriam si non tollunt, tamen minuunt: Lac copiosum

(ne

(ne tamen eo nimis solvatur, cavendum*)
aqua leviter alcalisata, sapo, solutio cali-
da hepatis sulphuris, maxime cum ferro,
nitro & sulphure per detonationem para-
ti, **) solutio ferri, atramentum. Oleum
contra, & acida male propinuantur.

§ 169.

Sales minerales acidi corrosivi, ex
mercurio, cupro, antimonio, argento,
auro, stanno, plumbo iisdem debellantur,
quorsum adhuc pertinent potentia absor-
bentia.

§ 170.

Metallis in alcalinis solutionibus hæ-
rentibus, ipsis alcalinis concentratis & cal-
ci vivæ acida diluta opponenda sunt.

§ 171.

Reliqua venena metallica acria, ut
antimonii vitrum, sulphur, regulus, ut
cuprum ejusque soboles poscunt genera-
lia § 132. ss. indicata.

§ 172.

*) NAVIER *Gegengifte des Arseniks.* S. 84.

**) ib.

§ 172.

Venena mechanice acria, ut vitrum, scobs metallica, forte & adamas repletionem & distensionem intestinorum volunt per farinacea: Aciculae metallicae acidis etiam infringuntur.

§ 173.

Contra venena mechanica non acria, solo pondere, mole, expansione, adhaesione nocentia vix datur remedium, nisi forte solvens quoddam invenire possis: Gypsum in ventriculo congulari, fabula est; solvitur alias alcalinis.

§ 174.

Plantæ venenatæ, acrimonia sua singulari five inflammations & gangrænam ventriculi intestinorumque excitantes, five nervosum sistema inexplicabili vi adorientes præter generalia citata acetum, aliqua acida forte ut antidotum agnoscunt, licet aliquas earum, ut ranunculum non enervent.

§ 175.

Iisdem narcotica sunt debellanda.

§ 176.

§ 176.

Incognita acria, quibus tela inficiuntur, saccharo & serpentaria interne adhibitis quandoque vincuntur.

§ 177.

Morsum animalium venenatorum, præcipue serpentum mansuescunt alcali fluor, oleum olivarum, quod tamen à quibusdam negatur.

§ 178.

Venenum rabidi animalis pariter per alcali causticum, fixum vel volatile, cauterium actuale vel potentiale, & diuturnam vulneris suppurationem domatur.

§ 179.

Halitus perniciosos fere omnes alcali fluor enervat.

§ 180.

Mitiores plerumque fragrantibus, rejectione salivæ eluduntur.

§ 181.

Venenatis vulneribus quibuscumque medetur resciſſio partis vulneratæ ſubitaneat

nea, & ligatura membra supra vulnus,
non neglectis tamen antidotis.

§ 182.

Inter venena numerari quoque possent
depravationes illæ specificæ, quas in can-
cro, lepra, syphilide, variola &c. vide-
mus; Cum autem hæc specialem expo-
scant methodum, hujus non sunt loci.

CAP. XVII.

METHODVS CONTRA INFESTA
VIVENTIA IN CORPORE
HVMANO.

§ 183.

In canali alimentario reperta subinde
fuerunt animalia varia viva, alias extra
corpus degentia, ut serpentes, lacertæ,
ranæ, nec non omnis generis vermes,
magis inquilini.

§ 184.

Quodsi evacuatio immediata non suc-
cedit, amara, fœtentia, acria cum eva-
cuantibus jungenda sunt.

§ 185.

§ 185.

Apud vermes præcipue, cum supponant digestionem depravatam, ad sequentia momenta attendendum erit:

- a) Destruere mucum seu pituitam tenacem, quæ, licet forte ab ipsis his animalibus accersitus, vermis pro recessu & sede inservit; Præstant hoc sales medii, multa aqua & quedam ex acribus, fibras ventriculi & intestinorum stimulantibus.
- b) Vires digestionis roborare, quod & diu postea continuandum. Hoc fit roborantibus, maxime ferro.
- c) Præbere medicamenta, vermis injuncta, quorsum amara & foetida pertinent; vel ingerere & applicare frigida, quibus vermes rigent, vel & oleosa, quibus suffocantur, denique venena, vermes necantia, ea vero dosi, qua homo non pereat, an & narcotica, ut vermes inebriantur?
- d) Simul, vel brevi post fortius evacuare.

§ 186.

§ 186.

Speciatim tænia solium seu cucurbitina dicitur abhorrere stannum; & remedium *Waglerianum*: Tænia lata autem abigitur remedio *Nufferiano* & *Herrenschwandiano*. Oleum ricini iis quoque opponitur, ut & semen Sabadilli, (quod frustra adhiberi, *Bloch von Würmern* p. 51. contendit,) Remedium *Chaberti* ex oleo therebinthiæ cum oleo empyrevmatico ex cornubus destillato quoque laudatur. *)

§ 187.

Quæ in aliis corporis latebris habitant, vel in alias partes impinguntur, ut gordius, furia, aut arte chirurgica educenda, **) vel appropriatis medicamentis necanda: Huc pertinet sine dubio sal ammonia.

*) *GOEZ Versuch einer Naturgeschichte der Eingeweidewürmer.*

**) cfr. *VELSCHIVS De Vena medinensi.*
Furiam elici ajunt lacte coagulato. (*Pallas Diff. de infestis viv.* &c. p. 10.)

moniacum & nicotiana, puncto læso imponendum. *) Bruta idem morbus infestat.

C A P. XVIII.

BILIS DEGENERATÆ IMPVGNATIO.

§ 188.

Bilis, acris facta, solida irritat, inflamat; Hæc ergo quantocytus ab ea defendenda, liberanda sunt.

§ 189.

Præmissis itaque, & junctis diluentibus, involventibus mucilaginosis, & corrigentibus acidis, excussio bilis, præsertim per vomitum, dein etiam per alvum instituenda.

§ 190.

Cum ejusmodi particulæ acres etiam sanguinis massam ipsam intrarunt, involventia & corrigentia ulterius adhibenda sunt,

*) BALDINGER. *N. Magaz. III. B. I. St.*
p. 73. PALLAS *Reisen. II. Th. SAMOILOWITZ*, sur la peste. p. 43 ff.

E

sunt, & coctio materiæ hujus morboꝝ promovenda erit.

§ 191.

Bilis atra dicta, tenax est; Poscit ergo diluentia resolventia, qualia huc pertinentia sunt: Sales medii, præsertim & acidi vegetables, nec non acidо - dulcia copiose ingesta.

§ 192.

Bilis autem vappida, principiis suis activis destituta, si amaris non corrigitur, tamen suppletur, maxime bile bubula.

§ 193.

Cum autem ea supponat vitium syltematis cholopœi, acriuscula vel & acria diluta cum robora tibus mixta, forte & mercurius, tubulos obstructos referabunt, præparationemque bilis sinceram restituent.

§ 194.

Bilis nimia arcetur vitando pinguia, & contra feligendo victum vegetablem acidiusculum: Jamjam præsens autem evacuantia postulat.

CAP.

C A P. XIX.

METHODVS ANTIPIVITOSA.

§ 195.

Muco morboso, in systemate gastrico maxime haerenti, praeter diluentia, sic dicta digestiva opponenda sunt, scilicet ejusmodi, quae partim chemice pituitam dissolvant, partim fibras ventriculi & intestinorum stimulent, quo ea ex parietibus eorum excutiatur, auctoque motu peristaltico propellatur.

§ 196.

Eadem quoque uberiorem muci, liquidis gastrici & intestinalis tenuioris secretionem, & depositionem in cavum intestinorum, vel saltem inter parietes eorum, mucumque tenacem investientem sollicitabunt, & hac quoque ratione ad resolutionem & avulsionem pituitae tenacis facient.

§ 197.

Solventem virtutem § 195. possident sales medii, alcalini, sapones,

E 2

198.

§ 198.

Stimulantem vim exferunt plura acria,
aromatica, resinosa & amara, ut & ipsa
dicta solventia.

§ 199.

Mucus autem ex parte resolutus, de-
turbatus, & decussus postea evacuandus
est, modo sursum modo deorsum.

§ 200.

Quodsi colluvies ista ex acri fonte,
mucum alliciente profluit, tum ista acri-
monia tollenda est, sin autem, quod fre-
quentius est, ex vitio digestionis, primæ
& secundæ promanat; tunc indicatur hu-
jus emendatio, & roboratio, quæ plerum-
que usum diuturnum amarorum, aroma-
ticorum & roborantium requirit.

§ 201.

Mucus in systemate aërisfero stagnans
aut acri permistus, aut tantum iners,
spissus est.

§ 202.

Acris mucus poscit sic dicta demulcen-
tia, qualia sunt dulcia, gelatinosa, mu-
cila-

cilaginosa, nonnunquam & pinguia, etiam externe applicanda, quorum actionem adjuvant diluentia, aquea, vaporosa.

§ 203.

Sæpe etiam revellentia requiruntur, quæ congestionem humorum aliorum vocent.

§ 204.

Pituita autem iners, spissa, copiosa, cocta, ob pulmones torpidos justo diutius stagnans, acribus, balsamicis, amaris, pulmones sollicitantibus, tussim crientibus, nec non roborantibus promovetur. Quorum pertinent scilla, inula, gummi ammoniacum. Huc quoque faciunt stimulantia vaporosa; nec non emetica.

§ 205.

Si vero ea in pulmones, ex congestione, forte mere sanguinea, nimis coaceretur, derivantibus opus est, quibuscum, si pulmones simul laxi fuerint, roborantia jungenda sunt, quo casu etiam aër & aqua frigidiores conducunt, relaxantia autem, & sic dicta expectorantia, nocent.

E 3

§ 206.

§ 206.

Pituita iners in cavis nasalibus stagnans vaporibus aqueis, aqua calida, qua errhinis solvitur, & acribus, in nares immis-
sis, *) quæ ptarmica vocantur, concuti & excuti potest, modo affectus abdominal-
les & congestiones sanguineæ ad caput
ea non contraindicent.

§ 207.

Eadem vero acris, lacte, mucilagino-
sis, vaporibus aqueis obtunditur.

§ 208.

Pituitam inertem in ipsa massa san-
guinis dominantem eodem fere modo ac
§ 195. dictum est, aggredi debemus, nem-
per resolventia amaris & roborantibus com-
binanda, diuque adhibenda sunt, quibus-
cum labor, alimenta ditiora, vinumque
jungi debent. Sæpe etiam costio exspe-
ctanda & adjuvanda.

CAP.

*) Alii tabaci fila contorta per nares in fau-
ces mittunt. MONDSCHEIN von der
Wasserfucht. S. 89.

C A P . X X .

R E S E R A T I O V A S O R V M
O B S T R V C T O R V M .

§ 209.

Vasorum angustia ex aucta proportione solidi ad cavum, eorum coalitus, chondrogenia, osteogenia, lithogenia in partibus, farcomata angustantia &c. therapiam nullam admittunt, nisi quandoque chirurgicam.

§ 210.

Nec compressio a vi externa directam vasorum liberationem concedit, sed illi amovendæ studendum.

§ 211.

Collapsum, saltem recentem, tollunt roborantia, & ea, quæ humores augent.

§ 212.

In reserandis vasis proprie obstructis agendum est aut in vasa ipsa, aut in contenta, aut in utraque.

E 4

§ 213.

§ 213.

Vasorum culpa his in casibus consistit plerumque in nimia strictura, quæ vel in nimia contractione naturali, vel in spastico ponitur.

§ 214.

Utraque requirit relaxantia, *) tam universalia, quam topica, quæ nonnunquam tamdiu applicari debent, donec resolutio in parte affecta, & suppurationem contingat.

§ 215.

Spasmus autem præter hæc exigit placentia, præsertim, ubi contentum parientes continentest stimulat, & in quod ageare tamen non possumus, uti e. g. in calcum.

§ 216.

Aliud vitium vasorum huc faciens est torpor & debilitas, movenda relinquens immota:

§ 217.

Hoc corrigitur frictionibus, acribus, aliisque stimulantibus, (quæ externe applici-

*) LAC. TISSOT, von Nerven III, 174.

plicita discutientia audiunt) fulcimentis externis, concussionibus tremulis, per totum corpus agentibus, ut equitatione, vestigatione, quorsum & referas eas, quas sedens in trabe, quem serra difficit, percipit, vel quas stans sedensve prope incudem, malleo maximo percussam patitur, vel quae ex machina hunc in finem structa resultat, denique ictus electricos.

§ 218.

Si humores spissi, tenaces vasa obstruunt, hi suis modis sunt attenuandi.

§ 219.

Sin autem corpora sunt plane irresolutabilia, tutius est, à medicatione abstinerre, nisi quidem modo, § 215. dicto.

§ 220.

Utraque methodus § 213 - 218. sæpe combinanda est.

E 5

CAP.

C A P . X X I .
METHODVS TEMPERANS.

§ 221.

Orgasmus, seu motus immodicus sanguinis, tam progressivus, quam *intestinus*, supponit stimulum quendam, qui mox in solidis, mox in fluidis, mox utrobique residet.

§ 222.

Adeoque non datur directa methodus temperans, orgasmum omnis generis compescens, sed potius indicationes ad pri-
mos stimulus dirigendæ sunt.

§ 223.

Stimulus palpabilis in solida quadam parte externa residens, arte chirurgica removendus est.

§ 224.

Stimulus internas partes occupans, & sistema nervosum commovens, quærendus est aut in impedimentis circuli, ut stagnationibus, obstaculis mechanicis, aut in acrimoniis laceffentibus, aut in san-
guine

guine nimio, expan^o, aut in caussis aliis,
in abdomen vel alibi hærentibus, & for-
te per consensum tantum agentibus, vel
& sæpe in levibus, moralibus aliisque oc-
casionibus.

§ 225.

Motus nimii in genere placandi sunt,
methodo Cap. III. edocta.

§ 226.

Remotio impedimentorum circuli ver-
satur plerumque in sublatione stagnatio-
num, & strictionis vasorum, adeoque exi-
git methodum resolventem, aperientem,
sæpe & sedantem & antiphlogisticam, de
qua infra.

§ 227.

Obstacula mechanica interna, ut plu-
rimum in vitiis organicis posita, vix, ac
ne vix quidem removeri possunt.

§ 228.

Acrimoniae vellicantis species & sedes
investigandæ, suisque modis debellanda
sunt.

§ 229.

§ 229.

Ubi sanguis nimius adeſt, hic minuen-
dus.

§ 230.

Sanguis autem expansus quiete, fri-
gore, abstinentia potu multo, nitro, aci-
dis in cancellos suos redigitur.

§ 231.

Stimuli abdominales præ omnibus diſ-
quirendi, ſive in primis viis, ſive in ſyste-
mate venæ portarum, vel alibi hæreant,
methodique ad eos ordinandæ ſunt.

§ 232.

Alia levia turbamenta Cremore tartari,
opio, vel temperantis ſic dicti pulveris exi-
gui jactu compressa quiescunt.

§ 233.

Qui ex resolutione ſanguinis, in putre-
dinem vergente oritur, orgasmus, acidis
maxime compescendus eſt.

§ 234.

Diæta congrua eligenda, ratione aë-
ris, qui frigidus & subinde renovatus ſit,
potus,

potus, qui sufficiens, non stimulans, cibi,
qui parcus, vegetabilis sit, motus, qui
suspendendus, pathematum, quæ mode-
randa, excretionum, quæ promovendæ
sunt.

§ 235.

Cæterum non omnis orgasmus semper
supprimendus est, cum saepe ad materiæ
morbosæ emendationem, coctionem, ex-
pulsionem tendat.

C A P. XXII.

METHODVS ANTIPHLOGISTICA.

§ 236.

Phlogosis seu inflammatio est aut uni-
versalis, & residet in universo sanguine,
aut particularis seu topica, cum pars
quædam singularis occupata est.

§ 237.

Posterior aut cum priori conjuncta est,
aut non: Utraque autem poscit methodum
antiphlogisticam, quæ præcipue eoredit,
ut sanguis a pituita inflammatoria libe-
retur, quæ ulterius resolvi & coqui debet.

§ 238.

§ 238.

Resolutio & coctio proprie naturæ operationes sunt; Hinc præcipue impedimenta removenda erunt, isti seco oppositura, & ipsum opus naturæ fovendum, sustinendum, promovendum est.

§ 239.

Coctioni resistunt: Plenitudo & rigor vasorum, nimia febris, nimius orgasmus, ut & ipsa tenacitas pituitæ inflammatoriae; & in casu opposito torpor virium naturæ.

§ 240.

Plenitudinem & rigorem vasorum tollit Venæ sectio larga, ex vulnere majori instituta, plerumque repetenda, aliæque sanguinis evacuationes, quæ vasorum actionem in contenta, ipsumque circulum liberiorem reddunt, minorumque oscillationem restituunt. Eodem collimant potus copiosus, aqueus, tepidus, quo tam fibræ strictæ relaxantur, quam tenacitas massæ infringitur.

§ 241.

Easdem indicationes persequimur, simulque febri & orgasmo occurrimus per sedan-

sedantia, relaxantia & resolventia, quorum præcipue nitrum, aliisque sales medii, lenia acida, dulcia, mel, oxymel, oxycratum pertinent.

§ 242.

Torpida autem, debilis natura sustinenda per intermixta roborantia & analeptica.

§ 243.

Resolutione & coctione inchoata, pro-grediente, perfecta, excretiones criticæ adjuvandæ sunt, pro re nata, alvum le-niter subducentibus, mitioribus diureti-cis, diaphoreticis, expectorantibus, nec non roborantibus.

§ 244.

Diæta & regimen rem apprime promo-vebunt: Consistet hoc perinde, ut in me-thodo temperante in aëris accessu libero, situ ægri erecto, alterna lecti cum sedili commutatione, linteorum renovatione, & exæstuantium, quæcunque ea sint, nomine cibi, potus, medicamenti, animi pathematum, veneris, somni nimii evita-tione sollicita.

§ 245.

§ 245.

Topicæ inflammationes majores præter methodum antiphlogisticam universalē alia adhuc admittunt auxilia , cum & particulares indicationes hic occurrant, & ipsa loca affecta sæpe topicē curari possint.

§ 246.

Cum optimus inflammationis exitus sit resolutio , studendum, ut hæc eveniat.

§ 247.

Obtinebitur hoc

1) Tollendo vel minuendo stimulum , tam localem, infixum, quam consensualem.

2) Vasa infarcta , distensa , tam ipsa inflammata , quam vicina , vel & cellulosa deplendo.

3) Novas congestiones & stases impediendo.

§ 248.

Quod ad primum scopum attinet , eum assequemur

a) me-

- a) mechanicos stimulos chirurgica arte auferendo.
- b) Loca inflammata fovendo emollientibus.
- c) Sensum in genere obtundendo opiatis, aliisque, tam interne, quam externe applicitis.
- d) Corrigendo & mutando materias alias stimulantes, ut venena illata, acrimonias, scorbuticam, syphiliticam, scrophulofsam &c. utpote quibus praesentibus oleum & operam perdimus.
- e) Stimulum remotum, per consensum agentem querendo & tollendo; Ita subductione humorum impurorum, ex systemate gastrico forte affluentium opus est, tam in recens vulneratis, quam iis, qui suppurantur. *)

§ 249.

*) LOMBARD Dissertation sur l' importance des evacuans dans la cure des Playes &c. quod cæterum jam Hippocrates imperavit. L. περὶ αέθρων p. 830. ed. Fœl. ubi de luxatis agit: ἀμεινον δε ηα φαρμακευσαται ἄνω ηεφω τινι φαρμακῳ.

F

§ 249.

Secundæ indicationi satisfiet

- a) evacuationibus cruentis, per hirudines, scarificationes, venæfæctiones in vicinis, excitatione hæmorrhagiæ in organo idoneo, propinquo.
- b) Promotione contractionis vasorum, per frigus actuale, sic dicta discutientia, § 217.
- c) Resolutione impactorum, per solventia, saponacea, salina, acria.
- d) Promotione se- & excretionum organi affecti, modo functio hujus naturalis id ferat.

§ 250.

Novæ congestiones suis modis avertendæ. v. Cap. XXIV.

§ 251.

Sin autem inflammatio metastatica est, vel effectus vulneris, vel si per se in suppurationem vergit, hæc promovenda eist.

§ 252.

§ 252.

Cum puris generatio merum opus naturæ sit, nil restat, nisi ut impedimenta hujus negotii tollamus.

§ 253.

Hæc sunt:

- a) Nimia tensio; tollenda relaxantibus, antispasmodicis externis & internis, demum temperantibus.
- b) Nimia laxitas, & defectus stimuli necessarii, ut in phlegmaticis, catarrheticis, in partibus glandulosis: Opus hic est stimulantibus, acribus, balsamicis, diæta ditiori.
- c) Corruptiones & acrimoniae humorum singulares, suis modis tollendæ.

§ 254.

Perfecta suppuratione, pus educendum, aut claustra chirurgice aperiendo, aut, si in organo quodam excretorio generatum fuit, hujus functionem suo modo stimulando & promovendo, aut demum in loco vicino magnam suppurationem exci-

F 2

tando

tando, ut pus eo invitetur, & prius occupatam partem, forte ob communicationem telæ cellulosa deferat.

§ 255.

Cum suppuratione, praesertim diurna, humores viresque exhauiat, nutrimentum largius præbendum, particulæ resolutæ, forte in massa humorum oberrantes per laxantia ad amplum intestinorum colatorium invitandæ, & per id ejiciendæ, dein & roborantia exhibenda sunt. (d)

CAP. XXIII.

DE TOLLENDIS DOLORIBVS ET SPASMIS.

§ 256.

Dolores idiopathici produci solent à reactione nervorum, occasione vasorum extensorum, ut in obstructionibus, inflammationibus, congestionibus, quarum medelam suis locis vide: Dein occasione violentiarum mechanicarum, partes sensiles sufficientium, nec non acrimoniarum, partes occupantium, quæ omnia suis modis remo-

removeri, corrigi debent, tam per universalia, quam topica remedia.

§ 257.

Sympathici autem dolores in parte quadam remota stimulum supponunt, præfertim in systemate gastrico, qui ideo diligenter exquirendus & tollendus est.

§ 258.

Urgentes dolores, undecunque oriantur, emollientibus, sedantibus & narcoticis, subinde, suspensa tamen manu, propinatis, vel & externe applicatis, mitigandi, sedandi sunt, maxime, cum sistema nervosum haud raro ultra caußæ gravitatem in impetus ruat, spasmodique accedentes dolorem augeant, quin & saepe periculum afferant.

§ 259.

Caußæ dolorum, ipsique dolores in sensibilibus evadunt caußæ spasmodorum, topicorum, universalium, idiopathicorum, sympatheticorum, multifariam modificatorum.

F 3

§ 260.

§ 260.

Hinc eadem fere therapia iis **conducit**,
quæ doloribus.

§ 261.

Palliative, nonnunquam etiam radicitus spasmis tolluntur per narcotica, quorum dosis saepe enormiter augenda est, quandoque etiam per remedia sic dicta specifica, ut flores zinci, &c. quibus à priori ejusmodi vim non tribuisses.

C A P. XXIV.

DE AVERTENDIS ET REVOCANDIS
CONGESTIONIBVS.

§ 262.

Cum humores majori, quam par est, impetu & copia ad partem aliquam singularem, v. c. caput ruunt & congeruntur, vel aliâs loco errant, vasorum dilatatio, debilitatio, calor, dolor, pressio, effusio humorum, & multiplex functionum turbatio sequetur.

§ 263.

—

77

§ 263.

Indicantur his in casibus
aut mechanica torrentis cohibitio,
aut simplex motuum placatio,
aut revulsio, seu antispasis,
aut repulsio,
aut remotio impedimentorum circuli in
partibus remotis.

§ 264.

Plerumque horum plura simul impe-
tranda sunt.

§ 265.

Torrens sanguinis minuitur, vel cohi-
betur, aut sanguinis portionem detrahen-
do, aut vasa afferentia premendo, ligan-
do, aut venas partium remotarum strin-
gendo, ligando, quo sanguis in ipsis mo-
ram patiatur.

§ 266.

Motus placantur, ut Cap. III. & XX.
dictum est, præsertim remotione stimuli,
æpe consensualis. Ita ophthalmia emeti-
cis, anthelminticis cedere potest.

F 4

§ 267.

§ 267.

Antispasis peragitur invitatione humorum ad partes alias remotas.

§ 268.

Hoc sit, impetum majorem ad ista loca excitando, aut per depletionem vasorum in iis, quod derivare vocant, quorsum pertinet venæsectio, scarificatio, hirudinum applicatio, aut per relaxationem, quorsum faciunt balnea topica, fomentationes.

§ 269.

Impetus major ad loca remota cietur quoque, stimulum ipsis affricando: Hoc peragitur frictione varii gradus, urticatione, applicatione acriū, rubefacientium, vesicas excitantium, causticorum, ustione varia, fonticulis, setaceis, aliisque ulceribus excitatis, sustentatis, diuque suppurantibus.

§ 270.

Nec minus huc faciunt auctæ se- & excretiones organorum remotorum, ut sollicitatio alvi, urinæ, sudoris, salivæ, lactis,

lactis, puris, seminis, liquoris genitalis
fœminini, sanguinis hæmorrhoidalis, men-
strui, è quibus feligenda præcipue ea,
è cuius suppressione forte congestio nata
erat.

§ 271.

Repulsio fit per strictionem vasorum
dilatatorum.

§ 272.

Nimis dilatata autem strictionem non
admittunt, hinc antea depleri debent.

§ 273.

Hæc depletio est aut immediata, per
scarificationem, hirudines, aut media ta,
cum per depletionem vasorum vicinorum
ea liberiora redduntur.

§ 274.

Possunt quoque, licet lentius depleri
per resolutionem, quæ sollicitatur frictio-
ne, applicatione cantharidum, aliorum-
que acrum balsamicorum, volatilium:
Nec non per promotionem secretionis,
si forte humores in ejusmodi organo sta-
gnant.

F 5

§ 275.

§ 275.

Ipsa vero strictura vasorum dein perficitur adstringentibus, maxime frigore actuali.

§ 276.

Impedimenta circuli remota plerumque in simplici strictura vasorum, vel in obstructione eorum consistunt: Priori resistunt relaxantia, placantia, posteriorem tollunt reserantia.

C A P. XXV.

MOTUVVM NIMIS LENTORVM
MEDELA.

§ 277.

Motus solidorum in genere, quatenus variæ functiones ab iis pendent, nimis lenti sunt, aut ex torpore & debilitate, aut ex impedimentis obstantibus.

§ 278.

Quomodo torpor & debilitas corrigi debeant, dictum est. Cap. I. Obstacula autem ponuntur aut in tenacitate humorum, attenuandorum, aut in impedimentis

tis

tis organicis, apud quæ plerumque nulla therapia succedit, aut in stricturis spasmodicis, suis modis placandis, nonnunquam in ipso copioso sanguine, facile minuendo.

C A P. XXVI.

PROMOTIO COCTIONIS.

§ 279.

Materiæ morbosæ, sive in tenacitate, sive in acrimonia, sive in alia qualitate nociva consistant, sive in universo sanguine, sive in parte quadam speciali resideant, quamdiu vim suam noxiā integrā exferunt, sunt crudæ.

§ 280.

Quo plus autem de vi sua lædente perdunt, eo magis accedunt ad statum coctionis.

§ 281.

Coctio est operatio naturæ, qua ista mutatio perficitur.

§ 282.

§ 282.

Præter dilutionem, involutionem, successivamque eliminationem materiarum crudarum, natura, arcano quodam modo chemicam earum mixtionem immutare videtur, quo tenaces resolvuntur, mobiles, aptæ ad evacuandum redduntur, acresque mitigantur:

§ 283.

Differt itaque pro diversa natura materiarum subigendarum.

§ 284.

Ad coctionem in genere natura indigere videtur quiete & viribus, hisque nonnunquam opus suum sola perficit.

§ 285.

Hæc ergo requisita ipsi procuranda sunt, scilicet: Quies animi & corporis, placatio nimii orgasmi, dein virium conservatio, & pro re nata, excitatio, roboratio.

§ 286.

Porro opus est potu sufficienti appro priato, diluente, resolvente, alterante, & medicamentis similibus.

§ 287.

§ 287.

Lenis denique referatio & stimulatio organorum excretiorum, per quæ materia morbifica, quacum jam res haberetur, commode & successive eliminari potest, huc apprime facit.

§ 288.

Cocchio particularis seu topica promovetur calore, fotu, emollientibus, resolventibus, saepe & acribus, ut dropacibus.

CAP. XXVII.

METHODVS ANTIFEBRILIS.

§ 289.

Generalis febrium therapia componitur ex placatione orgasmi & symptomatum urgentium, ex methodo speciali adversus materiem morbi, ubicunque resideat, & in quacunque acrimonia vel depravatione consistat, & ex promotione coctionis & evacuatione ejusdem.

CAP.

C A P . X X V I I I .

PROMOTIO SE - ET EXCRETIONVM
IN GENERE.

§ 290.

Frequentius in praxi nil occurrit, nisi
necessitas promovendarum se - & excre-
tionum.

§ 291.

Organa secretoria aut in singulari qua-
dam parte constituta sunt, qualia sunt
hepar, renes, aliquæ glandulæ &c., aut
per amplam corporis provinciam dispersa
sunt, ut vasa exhalantia, glandulæ &
cryptæ per cutem, intestina.

§ 292.

Functio eorum promovetur aut stimu-
lum ipsis applicando, qui affluxum humo-
rum ad ea cieat, functionem ipsam solli-
citet, secretionem & excretionem augeat,
quæ in iis deposita erant, vel stagnabant,
everrat; aut uberiorem materiem ipsis
subministrando, aut denique impedimen-
ta, functioni se opponentia, removendo.

§ 293.

§ 293.

Quodsi itaque tale organon sive protopathice , sive devteropathice patiatur , ita, ut humor, quem secernere debet, copia vel qualitate peccet, vel simile quid per depositionem ex universa massa sanguinea, vel aliunde evenerit , vel cum ejusmodi depositio & major affluxus humorum optatur, tum, nisi alia impedimenta adsint, stimulus illi organo applicandus est.

§ 294.

Organa hæc in genere stimulantur per omnia corpora acria, pleraque acido-dulcia, & multa ex amaris.

§ 295.

Dantur, quæ omoia sere organa simul vel successive stimulare valent, ut antimonials, sales: Sunt, quæ aliqua singularia tantum afficiunt, ut scilla ventriculum, renes, pulmones: Denique habemus, quæ unum tantum aggredi videntur, ut ipecacoanha ventriculum, licet hæc etiam in partes remotas agant, saltem per consensum.

§ 296.

§ 296.

Suggestio uberioris materiæ, & remo-
tio impedimentorum in sequentibus de-
mum doceri potest.

CAP. XXIX.

DE PROMOTIONE CONTENTORVM
IN VENTRICVLO ET
INTESTINIS.

§ 297.

Ventriculus, quatenus contenta expel-
lit, ea vel deorsum in intestina promovet,
vel sursum rejicit per vomitum.

§ 298.

Prior functio turbatur, aut per impe-
dimenta, transitum per pylorum aggra-
vantia, denegantia, vomitusque saepe re-
currentes causantia, aut per motum an-
tiperistalticum, qui omnia sursum pellit,
aut cum ex torpore ventriculi expulsio &
ulterior promotio contentorum lentescit,
aut denique ipsa moles, tenacitas, cru-
ditas eorum in culpa est.

§ 299.

§ 299.

Vitia pylorum angustantia, occludentia, sunt aut spasmi, aut inflammatio, abscessus, suis modis tractandi, aut scirrhous, excrementiae, chondrogenia & ejusmodi vitia organica, quibus auxilium nullum est, nisi forte in scirrum alcalinis & conio maculato agere velis.

§ 300.

Vomitus & motus antiperistaltici pertinaces, procedunt praeter caussas modo allegatas, aut ex irritabilitate ventriculi nimia, quorum facit nimia sensilitas universi systematis nervosi, ut in hysteris, quæ sedantibus, & narcoticis compescenda est, aut propria ventriculi, orta vel ex muco abrafo, mucilaginosis & viscidis reparando, vel ex facta nimia irritatione per acia, quorum pars forte adhuc in ventriculo hæret, quibusque involventia, diluentia, corrigentia opponi debent, vel ex dilatatis vasis ventriculi per venena, congectionem sanguinis, de qua supra. Aut vomitus sunt consensuales, morbo-

G

prin-

principe sublato, sponte silentes, vel & opio obtemperantes. Varia denique impedimenta, trajectum per intestina negantia, de quibus infra, in caufa sunt.

§ 301.

Torpor ventriculi corrigitur acribus, amaris, aromaticis, sic dictis digestivis: Sæpe & ad universam constitutionem hominis respiciendum, & roborans therapia instituenda est, maxime per ferrum.

§ 302.

Moles contentorum aut ita comparata est, ut majora corpora solida ventriculo insint, sive ita jam ingesta, sive ibi demum formata, ut, cum mucus tenax insolubili alicui circumvolvit: His in casibus, si emetica non juvant, solventibus insistendum, licet spes successus exigua sit; Relaxantia quoque & narcotica tentanda, quibus viæ justo angustiores forte referantur.

§ 303.

Aut moles major meabilis est: Juvant hic frictiones, volutaciones, clysmata, vomitus.

§ 304.

§ 304.

Tenacitas & cruditas contentorum corrigitur salinis, mediis, alcalinis, additis forte acribus, sic dictis digestivis, nec non amaris & aromaticis.

§ 305.

Vomitus autem, sive rejectio contentorum per cardiam, oesophagum, & os sollicitandus est, primario, cum noxia & peregrina in ipso ventriculo, vel proximo intestino duodeno hærent, per intestina, non sine noxa vel periculo, vel & plane non evacuanda, quæ ex suis signis nosci debent.

§ 306.

Cum ad vomitum requiratur actio valida diaphragmatis, muscularum abdominalium, ipsius ventriculi, qua non modo ventriculus & pars intestinalium in motum antiperistalticum aguntur, sed & vehementis concussio & pressio in contenta abdominalia exercetur, sequitur tam exinde, quam' ex stimulo, in ipsos ventriculi paries agente, major exhalatio & depositio li-

90
quidi gastrici, effusio bilis ex concussa & forte spasticé contracta cystide, nec non concussio omnium viscerum, vasorum, reliquorumque contentorum abdominalium.

§ 307.

Nec negari potest, ipsum thoracem simul vehementer quat, mucumque tenacem in pulmonibus, bronchiis, aspera arteria, & faucibus hærentem moveri, saepe expelli.

§ 308.

Sic & caput afficitur; In quibusdam subjectis vasa, ob tantisper denegatum regressum sanguinis ex iis, turgent, distenduntur, & periculum rupturæ incurunt; Hinc plethoricis ante vomitum vena secunda.

§ 309.

In aliis pallor faciei revulsionem à capite testatur, ob auctam forte congestiōnem versus ventriculum.

§ 310.

Cum & omnes musculi in consensum cieantur, totum corpus quassatur, qui labor

Ilabor quoque sudores movet, quorsum etiam particulæ acres, quæ in sanguinem transfere, faciunt.

§ 311.

Ex his usus vomitoriorum longe latè que patens, æque ac cautelæ circa ea apparent: Struma, calculus, hernia, graviditas, menstrua, puerperium recens, hæmorrhagiæ habituales, imminens vomitus cruentus, inflammatio ventriculi, dispositio evidens ad apoplexiā sanguinem, hæmorrhoides, debilitas summa, emetica vetare solent, licet & in hisce necessitas anceps remedium suadeat.

§ 312.

Ea, quæ vomitum cident, sunt aut nauseosa, sive in corpus, sive in animam operentur, aut ventriculum acrius stimulantia. Posteriora strictius dicuntur emetica, vomitoria.

§ 313.

Ad prius genus pertinent, quæcunque ideam fastidiosam cident, & universum systema nervorum movent, ut fœtores, alii

G 3

que

quæ odores, idiosyncrasiae forte contrarii, abominabilia oculis, naribus, ori obliqua, aspectus vomentium, sermones nauseosi, item, quæ vertiginem causantur, ut itinera marina, vectio retrograda in rheda, actio in gyrum, aliaque, porro ea, quæ fauces mechanice irritant; Deinde ea, quæ ventriculum obruunt, cujus commatis sunt oleosa, pinguia, aqua tepida copiosa.

§ 314.

Emetica ipsa depromuntur ex classe acrionum, inter quæ eminent antimonialia, vitriolum veneris & zinci, scilla, ipecacuanha.

§ 315.

Præparant & adjuvant vomitum dilutio, attenuatio materiæ, laxatio viarum per mucilaginosa, oleosa, quæ simul vim drasticam quorundam emeticorum infringunt, frictiones circa ventriculum, nauseosa, & compositio ad vomendum.

§ 316.

Sanguini immixta vomitoria eundem effectum habent.

§ 317.

§ 317.

Quæ in intestinis continentur, sive secundum, sive præter naturam, per motum peristalticum deorsum pelli, & denique per anum ejici debent, quam functionem turbant: Motus antiperistalticus, spasmus tonicus, torpor, nimia dilatatio, paralysis, aut adsunt resistentiæ, ut volvulus, herniæ incarceratæ, aut concretio intestinalis, atresia, aut inertia, absentia bilis, muci, liquoris intestinalis, eorum vulnera, rupturæ, aut musculorum abdominalium & diaphragmatis languor, actio impedita, aut denique contentorum moles, tenacitas.

§ 318.

Motum antiperistalticum & spasmodum corrigunt, quæ § 300 dicta fuere, torporem tollunt, simulque bilis inertiam & absentiam supplent ea, quæ § 301 proposita sunt, quorsum etiam faciunt exercitium corporis, frictiones, balnea frigida, equitatio: Nimia dilatatio, resolutio, nisi ex paraplegia oriuntur, iisdem emendantur:

G 4.

tur: Volvulus, herniae, vulnera, atresia suis modis debellanda, concretio intestinorum vix ac ne vix quidem correctionem admittit; Muci & liquoris intestinalis parcitas vel absentia potum & clysmata emollientia, pinguia, mucilaginosa, inunctiones similes requirit: Impeditam functionem muscularum cooperantium percontari, singulariterque illi mederi debemus. In tenacitatem autem & molem eodem modo agitur ut § 302 ff. dictum, quorum & clysmata varia maximopere faciunt.

§ 319.

Dein saepe positivo stimulo opus est, qui membranas sensiles intestinalium afficiat, affluxum humorum, adeoque secretiōnem muci & liquidi intestinalis augeat, motum peristalticum cieat, & sic contenta quævis expellat.

§ 320.

Coëffectus itaque erunt: Revulsio, humorum imminutio, exhaustio, conservatio & munitio sanguinis à particulis putridis resorbendis,

§ 321.

§ 321.

Eiusmodi stimulus aut per medicamenta, ore assumta, aut per clysmata & pessos intestinis applicatur; inunctiones quædam pariter aliquid præstant.

§ 322.

Clysmatum & suppositoriorum effectus ulterius se extendit, quam stimulus ipse, tam ob impedimenta ablata, quam ob consensum, & sic restitutum motum peristalticum, etiam intestinorum tenuium.

§ 323.

Stimulus ille differt gradu: Lenissimum exserunt dulcia, acido-dulcia, ipsa mucilaginosa potulenta, magna copia exhausta, oleosa, & alia, plura quoque ex materia alimentaria desumpta. Hæc vocantur lenientia, eccoprotica. Majorem stimulum exspectamus à sic dictis laxantibus, ex salinorum & acrionum classe desumitis, quorum nonnulla vehementer, drasticé, cum periculo inflammationis, exhaustionis, hypercatharseos agunt, purgantia proprié nuncupata.

G 5

§ 324.

§ 324.

Ceu clysinata acerrime operantur tar-
tarus emeticus & fumus nicotianæ.

§ 325.

Quæ successive propinantur, dicuntur
per epicrasin purgare.

§ 326.

Adjuvatur & augetur purgatio per fri-
gus pedum, juscula diluentia, lenientia.

§ 327.

Cæterum non dantur phlegmagoga,
hydragoga, cholagoga, melanagoga, nisi
quidem diversos istos gradus stimuli in-
nuas, cum revera omnia sint panchy-
magoga.

C A P. XXX.

SOLLICITATIO URINÆ.

§ 328.

Urinæ secretio promovetur aut submi-
nistrando materiam uberiorem ex potu,
ex fructibus horæis, aliisque aquofis, aut
removendo impedimenta ; qualia sunt
spissæ

spissitudo sanguinis inflammatoria, vel inflammatio ipsa organorum uropoeticorum, methodo antiphlogistica tractanda, tenacitas mucosa, attenuantibus & resolventibus cedens, acrimonia spasmodum excitans, suo modo debellanda, spasmum alii, præsertim abdominales, diligenter exquirendi & removendi: excretiones aliæ justo uberiores, moderandæ, calculus, suo modo tractandus. Debilitas tonicis tollenda.

§ 329.

Aut renes stimulantur per positiva diuretica, quorum virtus gradu vehementer differt: Leniter huc agunt petroselinum, asparagus, sales medii, acida vegetabilia, & acido-dulcia, gravius irritant balsama & resinæ, sales alcalini fixi, oniscus asellus, scilla, colchicum autumnale, aliaque acria, gravissime, cum periculo inflammationis viarum uriniferarum, meloë vesicatorius.

§ 330.

Adjuvatur diuresis per aërem frigidusculum, ipsum potum frigidum, motumque corporis.

§ 331.

§ 331.

Irritatio genitalium, viciniæque quan-
doque etiā urinam ciet, ut & mora in
ovili (saltē equis,) nec non applicatio
cepæ assatæ ad perinæum.

§ 332.

Effectus itaque diureticorum positivo-
rum sunt major humorum affluxus, re-
vulsio ab aliis partibus, secessio particula-
rum acrīum, & phlogisticarum & aquea-
rum, adeoque purificatio massæ sanguineæ.

CAP. XXXI.**SVDORIS EXCITATIO.****§ 333.**

Transpiratio & sudor, particulas acres,
salinas phlogisticas & aqueas eduentes,
promoventur & augentur aut directe,
cum humores in universum commoven-
tur, & orgasmus arte cietur, aut indire-
cte, cum impedimenta, istam se- & excre-
tionem sufflaminantia tolluntur.

§ 334.

§ 334.

Commotionem humorum efficiunt : Exercitium, frictiones, calida actualia & potentialia, extus & intus applicata, ut aqua, aër, vapores, clibanus, sol, arena, lapides, panes, vesicæ, repletæ &c. *calida.* Inter medicamenta interna huc facientia numerantur præter actu calida, sales volatiles, acidi, medii, alcalini, ple- raque fragrantia, aromatica, spirituo- sa, & nonnulla acria, quæ & simul resol- vendo agere videntur.

§ 335.

Hæc humorum commotio autem mul- tis in casibus reformidanda est, cum ii in ultima vascula agantur, hæmorrhagiæ excitentur, stagnationes inflammatoriæ formentur, & jam præsentes augeantur, quin & sœpe sudor salutaris cohibeatur.

§ 336.

Profusi sudores in genere vires labefactant, exhauriunt, etenim cum noxiis etiam utiles dissipantur hu-mores.

§ 337.

§ 337.

